

MISSÆ PROPRIÆ DIOCESES LIMBURGENSIS

I

FESTA PROPRIA UNIVERSÆ DIOCESIS

Die 9 Decembris

S. EUCHARII EP. ET CONF.

Duplex

Introitus Ps. 131, 9-10

SACERDOTES tui, Dómine, índuant justíiam, et sancti tui exsúltent: spropter David servum tuum, non avértas fáciem Christi tui. **Ps. ibid.**,
¹ Meménto, Dómine, David: et omnis mansuetúdinis ejus. **V.** Glória Patri.

Oratio

Exáudi, quæsumus, Dómine, preces nostras, quas in beáti Euchárii Confessóris tui atque Pontíficis solemnitáte deférimus: et, qui tibi digne méruit famulári, ejus intercedéntibus méritis, ab ómnibus nos absólve peccátis. Per Dóminum nostrum.

Et fit Commemoratio Octavæ Conceptio-nis immaculatæ B. M. V.:

Oratio

Deus, qui per immaculátam Vírginis Conceptiónem dignum Fílio tuo habilaculum præparásti: quæsumus; ut, qui ex morte ejusdem Fílli tui prævísá eam ab omni labé præservásti, nos quoque mundos ejus intercessióne ad te per-venire concédas. (Per eúndem Dóminum nostrum.)

Deinde Commemoratio Feriæ.

Léctio Epístolæ

beáti Pauli Apóstoli ad Hebráeos

Hebr. 7, 23-27

Fratres: Plures facti sunt sacerdótes, ideírco quod morte prohiberéntur permanére: Jesus autem, eo quod máneat in aetérnum, sempitérnum habet sacerdótium. Unde et salvare in perpétuum potest accédentes per semetípsum ad Deum: semper vivens ad interpellandum pro nobis. Talis enim decébat, ut nobis esset pónitifex, sanctus, ínnocens, impollútus, segregátus a peccatóribus, et excélsior cælis factus: qui non habet necessitatēm quotidie, quemámodum sacerdótes, prius pro suis delictis hóstias offérre, deínde pro pópuli: hoc enim fecit semel, seípsum offeréndo, Jesus Christus, Dóminus noster.

Graduale Ps. 131, 16-17

Sacerdótes ejus índuam salutári: et sancti ejus exsultatióne exsultábunt. **V.** Illuc prodúcā cornu David: parávi lu-cernam Christo meo.

Allelúja, allelúja. **V. Ps. 109, 4** Jurávit Dóminus, et non pænitébit eum: Tu es sacérdos in aetérnum, secúndum órdinem Melchísedech. Allelúja.

+ Sequéntia sancti Evangélii secún-dum Lucam **10, 1-9**

In illo témpore: Designávit Dóminus et álios septuagínta duos: et misit illos binos ante fáciem suam in omnem

¹ Propri. Limburgen.

civitatem et locum, quo erat ipse venturus. Et dicébat illis: Messis quidem multa, operarii autem pauci. Rogáte ergo Dóminum messis, ut mittat operarios in messem suam. Ite: ecce, ego mitto vos sicut agnos inter lupos. Nolite portare sácculum, neque peram, neque calceaménta; et néminem per viam salutavéritis. In quamcúmque domum intravéritis, primum dícite: Pax huic dómui: et si ibi fúerit fílius pacis, requiéscet super illum pax vestra: sin autem, ad vos revertétur. In eádem autem domo manéte, edéntes et bibéntes quæ apud illos sunt: dignus est enim operarius mercéde sua. Nolite transíre de domo in domum. Et in quamcúmque civitatem intravéritis, et suscéperint vos, manducáte quæ apponúntur vobis: et curáte infírmos, qui in illa sunt, et dícite illis: Appropinquávit in vos regnum Dei.

Credo, ratione Octavæ.

Offertorium Ps. 88, 25

Véritas mea et misericórdia mea cum ipso: et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

Secreta

Sancti Euchárii Confessóris tui atque Pontíficis, quæsumus, Dómine, ánnua solémnitas pietati tuæ nos reddat accéptos: ut, per hæc piæ placatiónis offícia, et illum beáta retribútio comítetur, et nobis grátiae tuæ dona concílet. Per Dóminum nostrum.

Pro Octava

Secreta

Salutárem hóstiam, quam in solemniáte immaculátæ Conceptiónis beátæ Vírginis Maríæ tibi, Dómine, offérimus, súscipe et præsta: ut, sicut illam tua grátia præveniénte ab omni labo im-

múnem profitémur; ita ejus intercessióne a culpis ómnibus liberémur. (Per Dóminum nostrum.)

Deinde Commemoratio Feriæ.

Praefatio de B. Maria Virg. Et te in Concepcióne immaculáta, ratione Octavæ.

Communio Matth. 24, 46-47

Beátus servus, quem, cum vénerit dóminus, invénerit vigilántem: amen, dico vobis, super ómnia bona sua constitúet eum.

Postcommunio

Deus, fidélium remunerátor animárum: præsta; ut beáti Euchárii Confessóris tui atque Pontíficis, cuius venerándam celebrámus festivitátem, précibus indulgéntiam consequámur. Per Dóminum nostrum.

Pro Octava

Postcommunio

Sacraménta quæ súmpsimus, Dómine, Deus noster: illíus in nobis culpæ vúlnera réparent; a qua immaculátam beátæ Maríæ Concepcióne singuláriter præservásti. (Per Dóminum nostrum.)

Deinde Commemoratio Feriæ.

Die 29 Januarii

S. VALERII EP. ET CONFE.

Duplex

Missa Státuit, de Communi Confessoris Pontificis 1 loco, præter Orationes se-quentes:

Oratio

Béati Valérii Confessóris tui atque Pontíficis, quæsumus, Dómine, fragilitátem nostram tuére præsidiis: ut, cuius venerándam festivitátem ánnua devotióne recólimus; ejus méritis ab ómnibus liberémur advérsis. Per Dñm.

Et fit Commemoratio S. Francisci Salesii Ep., Conf. et Eccl. Doct.:

Oratio

Deus, qui ad animárum salútem beátum Francíscum Confessórem tuum atque Pontíficem ómnibus ómnia factum esse voluísti: concéde propílius; ut, caritatis tuæ dulcédine perfúsi, ejus dirigéntibus mónitis ac suffragántibus méritis, ætéerna gáudia consequámur. Per Dóminum nostrum.

Et dicitur Credo, ratione S. Doctoris.

Secreta

P

Sacrificium laudis, quod in commoratione beáti Valérii Confessoris tui atque Pontíficis tibi offérimus, propílius súscipe: et grátiam tuam, quam nostris opéribus non merémur, ejus nobis intercessióne concéde. Per Dóminum nostrum.

Pro S. Francisco Salesio

Secreta

Sancti Francíisci Pontíficis tui atque Doctóris nobis, Dómine, pia non desit orálio: quæ et múnera nostra concíliet; et tuam nobis indulgéntiam semper obtíneat. Per Dóminum nostrum.

Postcommunio

P

Quásumus, Dómine, salutáribus repléti mystériis: ut beáti Valérii Confessoris tui atque Pontíficis oratióibus adjuvémur; cuius solémnia celebrámus. Per Dóminum nostrum.

Pro S. Francisco Salesio

Postcommunio

Ut nobis, Dómine, tua sacrificia dent salútem: beátoru Francis Póntifex tuus et Doctor egrégius, quásumus, precátor accédat. Per Dóminum nostrum.

¶ Missae, etiam privatæ, dici possunt, juxta Rubricas, etiam de S. Francisco Salesio Ep., Conf. et Eccl. Doct., ut in Missali hac die, cum Commemoratione S. Valerii.

Die 4 Februarii

S. RABANI MAURI EP. ET CONF.

Duplex

Missa Sacerdótes tui, de Communi Confessoris Pontificis 2 loco.

Oratio

C

Exáudi, quásumus, Dómine, preces nostras, quas in beáti Rabáni Confessoris tui atque Pontíficis solemnité deférimus: et, qui tibi digne méritu famulári, ejus intercedéntibus méritis, ab ómnibus nos absólve peccátis. Per Dóminum nostrum.

Et fit Commemoratio S. Andreæ Corsini Ep. et Conf.:

Oratio

Deus, qui in Ecclésia tua nova semper instáuras exémpla virtútum: da pôpulo tuo beáti Andréæ Confessoris tui atque Pontíficis ita sequi vestígia; ut assequátur et præmia. Per Dóminum nostrum.

Secreta

C

Sancti Rabáni Confessoris tui atque Pontíficis, quásumus, Dómine, ánnua solémnitas pietati tuæ nos reddat accéptos: ut, per hæc piæ placatiónis offícia, et illum beáta retribúto comítetur, et nobis grátiæ tuæ dona concíliet. Per Dóminum nostrum.

Pro S. Andrea

Secreta

Sancti tui, quásumus, Dómine, nos ubique lætífacent: ut, dum eórum mérita recólimus, patrocínia sentiámus. Per Dóminum nostrum.

Postcommunio

C

Deus, fidélium remunerátor animárum: præsta; ut beáti Rabáni Confessóris tui atque Pontíficis, cuius venerándam celebrámus festivitátem, précibus indulgéntiam consequámur. Per Dóminum nostrum.

Pro S. Andrea

Postcommunio

Præsta, quásumus, omnípotens Deus: ut, de percéptis munéribus grátias exhibéntes, intercedénte beáto Andréa Confessóre tuo atque Pontífice, benefícia potióra sumámus. Per Dóminum nostrum.

J Extra Feriam IV Cinerum Missæ, etiam privatæ, dici possunt, juxta Rubricas, etiam de S. Andrea Corsini Ep. et Conf., ut in Missali hac die, cum Commemoratione S. Rabani Mauri.

Die 14 Februarii

S. VALENTINI EP. ET MART.

Duplex

Missa Státuit, de Communi unius Martýris 1 loco.

Oratio

C

Infirmitátem nostram résponce, omnípotens Deus: et, quia pondus própriæ actiónis gravat, beáti Valentíni Mártyris tui atque Pontíficis intercéssio gloriósa nos prótegat. Per Dóminum nostrum.

Et, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriæ in Missis non conventionalibus.

Deinde Commemoratio S. Valentini Presb. et Mart.:

Oratio

Præsta, quásumus, omnípotens Deus: ut, qui beáti Valentíni Mártyris tui na-

talítia cólimus, a cunctis malis immínentibus, ejus intercessióne, liberémur. Per Dóminum nostrum.

Secreta

C

Hóstias tibi, Dómine, beáti Valentíni Mártyris tui atque Pontíficis dicátas méritis, benígnus assúme: et ad perpétuum nobis tríbue proveníre subsídium. Per Dóminum nostrum.

Et, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriæ, ut supra.

Pro S. Valentino Presb. et Mart.

Secreta

Súscipe, quásumus, Dómine, múnera dignánter obláta: et, beáti Valentíni Mártyris tui suffragántibus méritis, ad nostræ salútis auxílium proveníre concéde. Per Dóminum nostrum.

Postcommunio

C

Refécti participatióne múnneris sacri, quásumus, Dómine, Deus noster: ut, cuius exséquimur cultum, intercedénte beáto Valentíno Mártyre tuo atque Pontífice, sentiámus efféctum. Per Dóminum nostrum.

Et, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriæ, ut supra, et de ea legitur Evangelium in fine, juxta Rubricas.

Pro S. Valentino Presb. et Mart.

Postcommunio

Sit nobis, Dómine, reparátio mentis et corporis cæléste mystérium: ut, cuius exséquimur actiónem, intercedénte beáto Valentíno Mártyre tuo, sentiámus efféctum. Per Dóminum nostrum.

JIn Quadragesima Missæ privatæ dici possunt, juxta Rubricas, etiam de Feria cum Commemoratione S. Valentini Ep. et Mart. ac S. Valentini Presb. et Mart.

Die 15 Martii

S. CLEMENTIS MARIÆ HOFBAUER
CONFESSORIS

Duplex majus

Missa Justus, de Communi Confessoris
non Pontificis 2 loco, præter Orationes
sequentes:

Oratio

P

Deus, qui beátum Cleméntem Ma-
ríam miro fidei róbore et invictæ
constántiæ virtúte decorásti: ejus méritis
et exémplis fac nos, quæsumus, ita
fortes in fide et caritáte fervéntes; ut
præmia consequámur ætérna. Per Dñm.
Et in Missis non conventionalibus fit Com-
memoratio Feriæ et legitur ejus Evange-
lium in fine.

Secreta

P

Ille nos, quæsumus, Dómine, devotio-
nis ignis accédat; quo beátus Cle-
mens María, dum salutárem offérret
hóstiam, júgiter flagrávit. Per Dóminum.

Postcommunio

P

Cælesti pane reféctis concéde nobis,
omnípotens Deus: ut beáti Clemén-
tis exémplo, in fortítudine cibi illíus us-
que ad montem, qui Christus est, felí-
citer perveniámus: Qui tecum vivit.

Z Missæ privatæ dici possunt, juxta Ru-
bricas, etiam de Feria cum Commemo-
ratione S. Clementis Mariæ.

Die 21 Aprilis

S. CONRADI A PARZHAM CONF.

Duplex

Missa Os justi, de Communi Confessoris
non Pontificis 1 loco, præter Orationes
sequentes:

Oratio

P

Deus, qui misericórdiæ tuæ jánuam
fidélibus patére voluísti: te súp-
lices exorámus; ut, intercedénte beáto

Conrádo Confessóre tuo, temporália sub-
sídia nobis tríbuas et ætérrna. Per Dñm.

Et fit Com. S. Anselmi Ep. et Doct.:

Oratio

Deus, qui pópulo tuo ætérnæ salútis
beátum Ansélmum minístrum tribuísti:
præsta, quæsumus; ut, quem Doctórem
vitæ habuimus in terris, intercessórem
habére mereámur in caelis. Per Dñm.

Credo, ratione Com. S. Doctoris.

Secreta

P

O blatiónes nostraras tibi, Dómine,
quæsumus, beáti Conrádi inter-
céssio veneránda comméndet: quem
coram tuis altáribus precántem super-
nórum charísmatum dulcédine recreásti.
Per Dóminum nostrum.

Pro S. Anselmo

Secreta

Sancti Ansélmi Pontíficis tui atque
Doctóris nobis, Dómine, pia non desit
orátio: quæ et múnera nostra concíliet;
et tuam nobis indulgentiam semper ob-
tíneat. Per Dóminum nostrum.

Postcommunio

P

Súmpsimus, Dómine, tua sancta, beáti
Conrádi mérita recoléntes: præsta,
quæsumus; ut ejus semper et præcláro
proficiámus exémplo et fidéli muniámur
auxílio. Per Dóminum nostrum.

Pro S. Anselmo

Postcommunio

Ut nobis, Dómine, tua sacrificia dent
salútem: beátus Ansélmus Póntifex tuus
et Doctor egrégius, quæsumus, precátor
accédat. Per Dóminum nostrum.

Z Missæ, etiam privatæ, dici possunt,
juxta Rubricas, etiam de S. Anselmo,
Missa In médio, de Communi Doctorum
cum Commemoratione S. Conradi, ad-
hibitis Orationibus, ut supra.

Die 23 Aprilis

S. GEORGII MARTYRIS

Patroni principalis civitatis totiusque
Dioecesis ac Tituli Ecclesiæ Cathedralis
Limburgensis

Duplex I classis cum Octava communi
Introitus

GAUDEAMUS omnes in Dómino,
diem festum celebrantes sub honore beati Geórgii Mártyris, de
cujus passióne gaudent Angeli et colláudant Fílium Dei, allelúja, allelúja.
Ps. 32, 1 Exsultáte, justi, in Dómino,
rectos decet collaudátio.

V. Glória Patri.

Oratio

Deus, qui nos beati Geórgii Mártyris
tui méritis et intercessióne lăetificas: concéde propítius; ut, qui tua per
eum beneficia póscoimus, dono tuæ grátiæ consequámur. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ

Sap. 5, 1-5

Stabunt justi in magna constántia ad-
vérsus eos, qui se angustiavérunt et
qui abstulérunt labóres eórum. Vidén-
tes turbabúntur timóre horribili, et mi-
rabúntur in subitatióne insperátæ salú-
tis, dicéntes intra se, pænitentiam agén-
tes, et præ angústia spíritus geméntes:
Hi sunt, quos habúimus aliquándo in
derísum et in similitúdinem impropérii.
Nos insensáti vitam illórum æstimabá-
mus insániam, et finem illórum sine
honóre: ecce, quómodo computáti sunt
inter filios Dei, et inter Sanctos sors il-
lórum est.

Allelúja, allelúja. **V. Ps. 88, 6** Confite-
búntur cæli mirabília tua, Dómine: éten-
enim veritátem tuam in ecclésia sanctó-
rum. Allelúja. **V. Ps. 20, 4** Posuísti,

Dómine, super caput ejus corónam de
lápide pretioso. Allelúja.

+ Sequéntia sancti Evangélii
secúndum Joánnem
Joann. 15, 1-7

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Ego sum vitis vera: et Pater meus agrícola est. Omnem pálmitem in me non feréntem fructum, tollet eum: et omnem, qui fert fructum, purgábit eum, ut fructum plus áfferat. Jam vos mundi estis propter sermórem, quem locútus sum vobis. Manéte in me: et ego in vobis. Sicut palmes non potest ferre fructum a semetípso, nisi mánserit in vite: sic nec vos, nisi in me manseritis. Ego sum vitis, vos pálmites: qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum: quia sine me nihil potéstis fácere. Si quis in me non mánserit, mittétur foras sicut palmes, et aréscet, et cólligent eum, et in ignem mittent, et ardet. Si manseritis in me, et verba mea in vobis mánserint: quodcúmque voluéritis, petétis, et fiet vobis.

Credo, per totam Octavam.

Offertorium Ps. 88, 6

Confitebúntur cæli mirabília tua, Dó-
mine: et veritátem tuam in ecclésia
sanctórum, allelúja, allelúja.

Secreta

Múnera, Dómine, obláta sanctifica,
et, intercedénte beato Geórgio
Mártyre tuo, nos per hæc a peccatórum
nostrórum máculis emúnda. Per Dómi-
num nostrum.

Communio Ps. 63, 11

Lætábitur justus in Dómino, et sperábit
in eo: et laudabúntur omnes recti corde,
allelúja, allelúja.

Postcommunio

Súpplices te rogámus, omnípotens Deus: ut, quos tuis réficiis sacraméntis, intercedénte beáto Geórgio Mártyre tuo, tibi étiam plácitis móribus dignánter tríbuas deservíre. Per Dóminum.

Infra Octavam de ea fit Commemoratio juxta Rubricas, et dicitur Credo.

Pro votiva Tempore Paschali dicitur Missa ut supra, excepto tamen Introitu, qui dicitur de Missa Protexísti, de Communi Martyrum Tempore Paschali 1 loco; pro votiva vero extra Tempus Paschale sumitur Missa In virtúte, de Communi unius Martyris 3 loco, cum Orationibus ut supra.

Die 27 Aprilis

**S. PETRI CANISII
CONF. ET ECCL. DOCT.**

Duplex II classis

Introitus Eccli. 15, 5

In médio Ecclésiæ apéruit os ejus: et implévit eum Dóminus spíritu sapientiæ et intelléctus: stolam gloriæ induit eum, allelúja, allelúja. **Ps. 91, 2** Bonum est confitéri Dómino: et psállere nómini tuo, Altíssime. **V.** Glória Patri.

Oratio

Deus, qui ad tuéndam cathólicam fidem beátum Petrum Confessórem tuum virtúte et doctrína roborásti: concéde propítius; ut ejus exémplis et móritis errántes ad salútem resipíscant, et fidéles in veritátis confessióne persevérent. Per Dóminum nostrum.

**Léctio Epístolæ
beati Pauli Apóstoli ad Timótheum**

2 Tim. 4, 1-8

Caríssime: Testíficor coram Deo, et Jesu Christo, qui judicatúrus est vivos et mórtuos, per advéntum ipsíus

et regnum ejus: prédica verbum, insta opportúne, importúne: árgue, óbsecra, ícrepa in omni patiéntia, et doctrína. Erit enim tempus, cum sanam doctrínam non sustinébunt, sed ad sua desidéria coacervábunt sibi magístros, pruriéntes áuribus, et a veritaté quidem audítum avértent, ad fábulas autem converténtur. Tu vero vígila, in ómnibus labóra, opus fac Evangelístæ, ministérium tuum imple. Sóbrius esto. Ego enim jam delíbor, et tempus resolutiōnis meæ instat. Bonum certámen certávi, cursum consummávi, fidem servávi. In réliquo repósita est mihi coróna justitiæ, quam reddet mihi Dóminus in illa die, justus judex: non solum autem mihi, sed et iis, qui díligunt advéntum ejus.

Allelúja, allelúja. **V. Ps. 118, 46** Loquébar de testimóniis tuis in conspéctu regum, et non confundébar. Allelúja. **V. 1 Cor. 9, 22** Omnia ómnibus factus sum, ut omnes fácerem salvos. Allelúja.

In Missis votivis per annum dicitur

Graduale Ps. 118, 129-130

Mirabília testimónia tua, Dómine, ídeo scrutáta est ea ánima mea. **V.** Declaratio sermónum tuórum illúminat et inteléctum dat párvulis.

Allelúja, allelúja. **V. Ps. 108, 30** Confitébor Dómino nimis in ore meo: et in médio multórum laudábo eum. Allelúja. Post Septuagesimam, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur

Tractus Ps. 118, 104, 105 et 158

A mandátis tuis intelléxi, propterea odívi omnem viam iniquitatis. **V.** Lucérna pédibus meis verbum tuum, et lumen sémitis meis. **V.** Vidi prævaricántes et tabescébam, quia eloquia tua non custodiérint.

+ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Mattháeum
Matth. 5, 13-19

In illo tempore: Dixit Jesus discípulis suis: Vos estis sal terræ. Quod si sal evanúerit, in quo saliétur? Ad níhilum valet ultra, nisi ut mittátur foras, et conculcétur ab homínibus. Vos estis lux mundi. Non potest cívitas abscóndi supra montem pósita. Neque accéndunt lucérnam, et ponunt eam sub módio, sed super candelábrum, ut lúceat ómnibus qui in domo sunt. Sic lúceat lux vestra coram homínibus, ut vídeant ópera vestra bona, et gloríficent Patrem vestrum, qui in cælis est. Nolíte putáre, quóniam ve ni sólvere legem aut prophétas: non ve ni sólvere, sed adimplére. Amen, quippe dico vobis, donec tránseat cælum et terra, iota unum aut unus apex non præteríbit a lege, donec ómnia fiant. Qui ergo sólverit unum de mandátis istis mínimis, et docúerit sic hómines, míminus vocábitur in regno cælórum: qui autem fécerit et docúerit, hic magnus vocábitur in regno cælórum.

Credo.

Offertorium Ps. 33, 12

Veníte, fílii, audíte me: timórem Dómini docébo vos, allelúja.

Secreta

Sanctífica, misericors Deus, hæc múnnera tibi obláta, et Ecclésiæ tuæ, beáto Petro intercedénte, unitatis et pacis propítius dona concéde. Per Dóminum.

Communio Is. 12, 3

Hauriéritis aquas in gáudio de fóntibus Salvatóris, allelúja.

Postcommunio

Sacrificium, Dómine, quod in honórem beáti Petri Confessóris tui atque Doctóris obtúlimus: fidem nostram,

spem et caritátem áugeat, et Ecclésiam tuam nova semper prole lætíficit. Per Dóminum nostrum.

Die 30 Aprilis

IN OCTAVA S. GEORGII MARTYRIS
Duplex majus

Missa ut in Festo.

Et fit Commemoratio S. Catharinæ Señensis Virg., ut in Missali hac die.

¶ Missæ, etiam privatæ, dici possunt, juxta Rubricas, etiam de S. Catharina Senensi Virg., ut in Missali hac die, cum Commemoratione diei Octavæ S. Georgii; et dicitur Credo, ratione ejusdem Octavæ.

Die 15 Maii

S. RUPERTI CONFESSORIS

Duplex

Missa Os justi, de Communi Conf. non Pont. 1 loco.

Oratio

C

Deus, qui nos beáti Ruperti Confessoris tui ánnua solemnitáte lætificas: concéde propítius; ut, cujus natalitia cólimus, etiam actíones imitémur. Per Dóminum nostrum.

Et fit Commemoratio S. Joannis Baptistæ de la Salle Conf.:

Oratio

Deus, qui, ad christiánam páuperum eruditiónem et ad juvéntam in via veritatis firmándam, sanctum Joánnem Baptístam Confessórem excitásti, et novam per eum in Ecclésia famíliam collegísti: concéde propítius; ut ejus intercessióne et exémplo, stúdio gloriæ tuæ in animárum salúte fervéntes, ejus in cælis corónæ partícipes fieri valeámus. Per Dóminum nostrum.

Festa Maji (31)

Secreta

Laudis tibi, Dómine, hóstias immolámus in tuórum commemoratióne Sanc-tórum: quibus nos et præsentibus éxui malis confidimus et futúris. Per Dñm.

Pro S. Joanne Baptista
Secreta

Præsta nobis, quæsumus, omnípotens Deus: ut nostræ humilitatis oblátio et pro tuórum tibi grata sit honóre Sanc-tórum, et nos córpore páriter et mente purifícat. Per Dóminum nostrum.

Postcommunio

Refécti cibo potúque cælesti, Deus noster, te súpplices exorámus: ut, in cuius hæc commemoratióne percépimus, ejus muniámur et précibus. Per Dñm.

Pro S. Joanne Baptista
Postcommunio

Quæsumus, omnípotens Deus: ut, qui cælestia aliménta percépimus, intercé-dente beáto Joánne Confessóre tuo, per hæc contra ómnia adversa muniámur. Per Dóminum nostrum.

J Missæ, etiam privatæ, dici possunt, juxta Rubricas, etiam de S. Joanne Bapt. de la Salle Conf., ut in Missali hac die, cum Commemoratione S. Ruperti (cum Oratione Deus, qui nos, ut supra, Se-creta et Postcommunione ex Missa Ju-stus ut palma, de Communi 2 loco).

Die 31 Maji

BEATÆ MARIÆ VIRGINIS
OMN. GRATIARUM MEDIATRICIS

Duplex majus

Introitus Hcbr. 4, 16

ADEAMUS cum fidúcia ad thronum grátiæ, ut misericórdiam conse-quámur, et grátiam inveniámus in auxílio opportúno. (T. P. Allelúja,

C

allelúja.) Ps. 120, 1 Levávi óculos meos in montes: unde véniet auxílium mihi. **V.** Glória Patri.

Oratio

Dómine Jesu Christe, noster apud Patrem mediátor, qui beatíssimam Vírginem matrem tuam, matrem quoque nostram et apud te mediatri-cem constitúere dignátus es: concéde propítius; ut quisquis ad te benefícia petitúrus accésserit, cuncta se per eam impetrásse lætétur: Qui vivis et regnas cum eódem Deo Patre.

Et fit Commemoratio S. Angelæ Meri-ciæ Virg.:

Oratio

Deus, qui novum per beátam Angelam sacrárum Vírginum collégium in Ecclé-sia tua floréscere voluísti: da nobis, ejus intercessióne, angélicis móribus vívere; ut, terrénis ómnibus abdicáatis, gáudiis pérfrui mereámur ætérnis. (Per Dóminum nostrum.)

Deinde Commemoratio S. Petronillæ Virg.:

Oratio

Exáudi nos, Deus, salutáris noster: ut, sicut de beatæ Petronillæ Vírginis tuæ festivitaté gaudémus; ita piæ devotiónis erudiámur afféctu. Per Dóminum.

Léctio Isaíæ Prophétæ

Is. 55, 1-3 et 5

Omnes sitiéntes, veníte ad aquas: et qui non habétis argéntum, prope-ráte, émite et comédite: veníte, émite absque argénto, et absque ulla commu-tatióne vinum et lac. Quare appénditis argéntum non in pánibus, et labórem vestrum non in saturitaté? Audíte audi-éntes me, et comédite bonum, et delec-tábitur in crassitúdine áнима vestra.

Inclináte aurem vestram, et veníte ad me: audíte, et vivet ánima vestra. Ecce gentem, quam nesciébas, vocábis: et gentes, quæ te non cognovérunt, ad te current propter Dóminum, Deum tuum, et Sanctum Israel, quia glorificávit te.

Graduale Eccli. 24, 25-26

In me grátia omnis viæ et veritátis, in me omnis spes vitæ et virtútis. **V.** Transíte ad me omnes qui concupíscitis me, et a generatióibus meis implémini.

Allelúja, allelúja. **V.** Salve Mater misericórdiaæ, Mater spei et grátiæ, o María. Allelúja.

Post Septuagesimam, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur

Tractus Ap. 22, 16-17

Ego sum radix et genus David, stella spléndida et matutína. **V.** Et spíritus et sponsa dicunt: Veni. Et qui audit, dicat: Veni. **V.** Et qui sitit, véniat; et qui vult, accípiat aquam vitæ gratis.

Tempore Paschali omittitur Graduale, et ejus loco dicitur:

Allelúja, allelúja. **V.** Is. 60, 4 Leva in circúitu óculos tuos, et vide: omnes isti congregáti sunt, venérunt tibi. Allelúja. **V.** Fílii tui de longe vénient, et fíliae tuæ de látere surgent. Allelúja.

+ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem
Joann. 19, 25-27 **P**

In illo témpore: Stabant juxta crucem Jesu mater ejus, et soror matris ejus María Cléophæ, et María Magdaléne. Cum vidísset ergo Jesus matrem et discípulum stantem, quem diligébat, dicit matri suæ: Múlier, ecce fílius tuus. Deinde dicit discípulo: Ecce mater tua.

Et ex illa hora accépit eam discípulus in sua. **Credo.**

Offertorium Jer. 18, 20

Recordáre, Virgo Mater, in conspéctu Dei, ut loquáris pro nobis bona, et ut avértat indignatióne suam a nobis. **(T. P. Allelúja.)**

Secreta

Matris tuæ ac Mediatriícis nostræ précibus, Dómine, quásumus: hæc hostiárum oblátio nosmetípsos, tua grátia largiénte, tibi perfíciat munus æténum: Qui vivis.

Pro S. Angela

Secreta

Hóstia, Dómine, quam tibi beátæ Angełæ memóriam recoléntes offérimus, et nostræ pravitatis véniā implóret, et grátiæ tuæ nobis dona concíliet. **(Per Dóminum nostrum.)**

Pro S. Petronilla

Secreta

Accépta tibi sit, Dómine, sacrátæ plebis oblátio pro tuórum honóre Sanctórum: quorum se méritis de tribulatióne percepísse cognóscit auxílium. Per Dóminum nostrum.

Præfatio de B. Maria V. Et te in festivitaté.

Communio

Valde mirábilis es, o María, et fácies tua plena est gratiárum. **(T. P. Allelúja.)**

Postcommunio

Subvéniat nobis, Dómine, beátæ Máríæ matris tuæ ac nostræ Mediatriícis orátio: ut per hæc sacrosáncta comércia, tua grátia largiénte, ad redemptiōnis aetérnæ proficiámus augmémentum: Qui vivis et regnas.

**Pro S. Angela
Postcommunio**

Cælesti alimónia refécti, súpplices te,
Dómine, deprecámur: ut beátæ Angelæ
précibus et exémplo, ab omni labe mun-
dáti, et córpore tibi placeámus, et men-
te. (Per Dóminum.)

**Pro S. Petronilla
Postcommunio**

Satiásti, Dómine, famíliam tuam mu-
néribus sacris: ejus, quæsumus, semper
interventióne nos rélove, cujus solém-
nia celebrámus. Per Dóminum.

¶ Missæ privatæ dici possunt, juxta Ru-
bricas, etiam de S. Angela, Missa Dile-
xisti, de Communi Virginum 3 loco, ad-
hibitis Orationibus, ut supra, cum Com-
memoratione B. Mariæ Virginis et S.
Petronillæ, ut supra; ac dicitur Credo
et Præfatio ejusdem B. Mariæ V. ejusque
Evangelium legitur in fine.

Die 5 Junii

S. BONIFATII EP. ET MART.

Patroni minus principalis Dioecesis

Duplex II classis

Missa Exsultábo, ut in Missali hac die.

Die 18 Junii

**S. ELISABETH SCHŒNAUGIENSIS
VIRGINIS**

Duplex

Missa Dilexisti, de Communi Virginum
3 loco.

Oratio

C

Exaudi nos, Deus, salutáris noster:
ut, sicut de beátæ Elísabeth Vír-
ginis tuæ festivitáte gaudémus; ita piæ
devotiónis erudiámur afféctu. Per Dómi-
num nostrum.

Et fit Commemoratio S. Ephræm Syri
Diaconi, Conf. et Eccl. Doct.:

Oratio

Deus, qui Ecclésiam tuam beáti Ephræm
Confessóris tui et Doctóris mira erudi-
tione et præcláris vitæ méritis illustráre
voluísti: te súpplices exorámus; ut, ipso
intercedénte, eam advérsus erróris et
pravitatis insídias perénni tua virtúte
défendas. (Per Dóminum nostrum.)

Deinde Cominemoratio Ss. Marci et
Marcelliani Martyrum:

Oratio

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus:
ut, qui sanctórum Mártyrum tuórum
Marci et Marcelliáni natalítia cólimus;
a cunctis malis imminéntibus eórum
intercessiónibus liberémur. Per Dómi-
num nostrum.

Credo, *ratione Commemorationis S. Doctoris.*

Secreta

C

Accépta tibi sit, Dómine, sacratæ ple-
bis oblátio pro tuórum honóre Sanc-
tórum: quorum se méritis de tribulatióne
percepísse cognóscit auxílium. Per Dó-
minum nostrum.

Pro S. Ephræm

Secreta

Sancti Ephræm Confessóris tui atque
Doctóris nobis, Dómine, pia non desit
orátió: quæ et múnera nostra concílet;
et tuam nobis indulgéntiam semper ob-
tíneat. (Per Dóminum nostrum.)

Pro Ss. Martyribus

Secreta

Múnera tibi, Dómine, dicáta sanctífica:
et, intercedéntibus sanctis Martyribus
tuis Marco et Marcelliano, per éadem
nos placátus inténde. Per Dóminum.

Postcommunio C

Satiásti, Dómine, famíliam tuam munéribus sacris: ejus, quásumus, semper interventióne nos réfove, cujus solémnia celebrámus. Per Dóminum.

Pro S. Ephræm
Postcommunio

Ut nobis, Dómine, tua sacrificia dent salútem: beátus Ephræm Conféssor tuus et Doctor egrégius, quásumus, precátor accédat. (Per Dóminum nostrum.)

Pro Ss. Martyribus
Postcommunio

Salutáris tui, Dómine, múnere satiáti, súpplices exorámus: ut, cujus lætámur gustu, intercedéntibus sanctis Martyribus tuis Marco et Marcelliano, renovémur efféctu. Per Dóminum nostrum.

¶ Missæ, etiam privatæ, dici possunt, juxta Rubricas, etiam de S. Ephræm Syro Diacono, Conf. et Eccl. Doct., ut in Missali hac die, cum Commemoratione S. Elisabeth Virg. ac Ss. Marci et Marceliani Martyrum.

Die 27 Junii

S. CRESCENTIS EP. ET MART.

Duplex majus

Missa Sacerdótes Dei, de Communi unius Martyris 2 loco, præter Orationem sequentem:

Oratio P

Deus, qui nos per beátum Crescén tem Mártirem atque Pontíficem ad agnitióne nominis tui vocáre digná tus es: præsta, quásumus; ut quem pa stórem habúimus in terris, intercessó rem habére mereámur in cælis. Per Dó minum nostrum.

Et fit Commemoratio Octavæ S. Joannis Baptiste:

Oratio

Deus, qui præsentem diem honorabilem nobis in beáti Joánnis nativitaté fecisti: da populis tuis spirituálium grátiam gaudiórum; et ómnium fidélium mentes dírige in viam salútis ætérnæ. Per Dó minum nostrum.

Secreta

C

Múnera tibi, Dómine, dicáta sanctí fica: et, intercedénte beáto Crescénte Mártire tuo atque Pontífice, per éadem nos placátus inténde. Per Dó minum nostrum Jesum Christum, Fílium tuum: Qui tecum vivit.

Pro Octava S. Joannis
Secreta

Tua, Dómine, munéribus altária cumulámus: illíus nativitaté honore débito celebrantes, qui Salvatorem mundi et cécinit adsutúrum et adésse monstrávit, Dóminum nostrum Jesum Christum, Fílium tuum: Qui tecum vivit.

Postcommunio

C

Haec nos commúnio, Dómine, purget a crímine: et, intercedénte beáto Crescénte Mártire tuo atque Pontífice, cælestis remédii fáciat esse consórtes. Per Dóminum nostrum Jesum Christum, Fílium tuum: Qui tecum vivit et regnat.

Pro Octava S. Joannis
Postcommunio

Sumat Ecclésia tua, Deus, beáti Joánnis Baptistæ generatióne lætíiam: per quem suæ regenerationis cognovit auctórem, Dóminum nostrum Jesum Christum, Fílium tuum: Qui tecum vivit.

Die 4 Julii
S. UDALRICI
EPISCOPI ET CONFESSORIS
Duplex

**Missa Státuit, de Communi Confessoris
 non Pontificis 1 loco, præter Orationem
 sequentem:**

Oratio

Deus, qui cónspicis, quia ex nulla nostra virtúte subsístimus: con-céde propítius; ut, intercessióne beáti Udalríci Confessóris tui atque Pontificis, contra ómnia advérsa muniámur. Per Dóminum nostrum.

Et fit Commemoratio Octavæ Ss. Petri et Pauli Apostolorum:

Oratio

Deus, qui hodiérnam diem Apostolórum tuórum Petri et Pauli martýrio conse-crásti: da Ecclésiæ tuæ, eórum in ómni-bus sequi præcéptum; per quos religi-ónis sumpsit exórdium. Per Dóminum.

Credo, ratione Octavæ.

Secreta**C**

Sancti tui, quæsumus, Dómine, nos ubíque lætífacent: ut, dum eórum mérita recólimus, patrocínia sentiámus. Per Dóminum nostrum.

Pro Octava Ss. Apostolorum**Secreta**

Hóstias, Dómine, quas nómini tuo sa-crándas offérimus, apostólica prosequár-tur orátio: per quam nos expiári tríbuas et deféndi. Per Dóminum nostrum.

Præfatio de Octava.

Postcommunio**C**

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus: ut, de percéptis munéribus grátias exhibéntes, intercedénte beáto Udalríco

Confessóre tuo atque Pontífice, benefí-cia potióra sumámus. Per Dóminum.

Pro Octava Ss. Apostolorum**Postcommunio**

**Quos cælesti, Dómine, aliménto satiásti:
 apostólicis intercessiónibus ab omni ad-
 versitéte custódi. Per Dóminum.**

Die 9 Julii

S. GOARIS CONFESSORIS**Duplex****Introitus Ps. 36, 30-31**

Os justi meditábitur sapiéntiam, et lingua ejus loquétur judícium: lex Dei ejus in corde ipsíus. **Ps. ibid., 1** Noli æmulári in malignántibus: neque zeláveris faciéntes iniquitátem.
V. Glória Patri.

Oratio

Deus, qui Ecclésiam tuam beáti Goáris Confessóris tui decorásti méritis et lætífieásti miráculis: effúnde super nos abúnde misericórdiam tuam; ut, ejus exémplo in mélius reformáti, válido patrocínio ab ómnibus liberémur advérsis. Per Dóminum nostrum.

Léctio libri Ecclesiástici**Eccli. 47, 9-12**

In omni ópere dedit Dóminus confes-siónem Sancto et Excélsø in verbo glóriæ. De omni corde suo laudávit Dóminum, et diléxit Deum, qui fecit il-lum, et dedit illi contra inimícos potén-tiam; et stare fecit cantóres contra altáre, et in sono eórum dulces fecit modos. Et dedit in celebratióibus decus, et ornávit témpora usque ad consumma-tiónem vitæ, ut laudárent nomen sanctum Dómini, et amplificárent mane Dei sanctitátem.

Graduale Ps. 20, 4-5

Dómine, prævenísti eum in benedictiōnibus dulcéinis: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretiósso. **V.** Vitam pétuit a te, et tribuísti ei longitúdinem diérum in sáculum sáculi.

Allelúja, allelúja. **V.** O sancte Goar, Dómini Conféssor et alme Sacérdos, propítius nobis tu peccatóribus adsis. Allelúja.

X Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam

Luc. 12, 32-34

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Nolíte timére, pusíllus grex, quia complácuit Patri vestro dare vobis regnum. Véndite quæ possidétis, et date eleemósynam. Fácite vobis sácculos, qui non veteráscunt, thesáurum non deficiéntem in cælis: quo fur non apprópiat, neque tinea corrúmpit. Ubi enim thesáurus vester est, ibi et cor vestrum erit.

Offertorium Ps. 88, 25

Véritas mea et misericórdia mea cum ipso: et in nómine meo exaltábitur cor nu ejus.

Secreta

Beáti Goáris Confessóris tui, Dómine, venerándam recoléntes memóriam, tuæ majestáti laudis hóstias immolá- mus, orántes: ut ejus pia intercessióne tibi pláceant et nos a peccátis absól- vant. Per Dóminum nostrum.

Communio Matth. 24, 46-47

Beátoru servus, quem, cum vénerit dó- minus, invénerit vigilántem: amen, dico vobis, super ómnia bona sua constitúet eum.

Postcommunio

S úmpsímus, Dómine, beáti Goáris Confessóris tui memóriam recoléntes, sacraménta cælestia: concéde pro- pítius; ut ejus méritis et prémibus nobis fiant salutária, cujus sacræ recordatió- nis veneratióne tuæ obláta sunt maje- státi. Per Dóminum nostrum.

Die 15 Julii

S. HENRICI IMPERATORIS
CONFESSORIS
Duplex

Missa ut in Missali hac die.

Die 11 Augusti

ANNIVERSARIUM DEDICATIONIS
ECCLESIAE CATHEDRALIS

Duplex I classis cum Octava communi
Missa Terríbilis, de Communi Dedi-
cationis Ecclesiæ.

Et non fit Commemoratio Ss. Tiburtii
et Susannæ Virg., Mm.

Infra Octavam de ea fit Commemoratio
juxta Rubricas, et dicitur Credo.

Die 13 Augusti

DE OCTAVA DEDICATIONIS
ECCLESIAE CATHEDRALIS
Semiduplex

Missa ut in Festo.

Et fit Commemoratio Ss. Hippolyti et
Cassiani Mm., ut in Missali hac die
et dicitur 3^a Oratio de sancta Maria
Concéde.

¶ Missæ privatae dici possunt ritu festi-
vo, juxta Ruhricas, etiam de Ss. Hippo-
lyto et Cassiano Mm., ut in Missali
hac die, cum Commemoratione Octavæ
Dedicationis Ecclesiæ Cathedralis et

**3^a Oratione de sancta Maria Concéde,
sed Credo non dicitur.**

**¶ Si hodie fuerit Sabbatum, Missæ non
conventuales dicuntur de Octava cum
Commemoratione Vigiliae anticipatæ
Assumptionis B. Mariæ Virginis ac Ss.
Hippolyti et Cassiani Martyrum, et Evan-
gelio Vigiliae in fine; aut de eadem Vi-
gilia anticipata cum Commemoratione
Octavæ ac Ss. Hippolyti et Cassiani,
absque Credo.**

**Die 14 Augusti
DE OCTAVA DEDICATIONIS
ECCLESIAE CATHEDRALIS**

Semiduplex

In Choro post Nonam dicitur Missa con-
ventionalis de Vigilia Assumptionis, cum
Commemoratione Octavæ Dedicationis
Ecclesiæ Cathedralis ac S. Eusebii Conf.
Missæ privatæ vero possunt etiam
de Octava cum Commemoratione Vigiliæ
ac S. Eusebii, et in fine legitur Evan-
gelium Vigiliæ.

**Die 18 Augusti
IN OCTAVA DEDICATIONIS
ECCLESIAE CATHEDRALIS**

Duplex majus

Missa Terribilis, ut in Festo, cum Præ-
fatione communi.

Et fit Commemoratio Octavæ Assump-
tionis B. Mariæ Virg.

**Die 19 Augusti
S. HELENÆ IMPERATRICIS, VIDUÆ**

Duplex

Introitus Gal. 6, 14

MIHI autem absit gloriari, nisi in
Cruce Domini nostri Iesu Christi:
per quem mihi mundus cruci-
fixus est, et ego mundo. **Ps. 47, 2** Magnus

Dóminus et laudabilis nimis: in civitáte
Dei nostri, in monte sancto ejus.

V. Glória Patri.

Oratio

Deus, qui beatam Hélenam Reginam
in præclara salutiferæ Crucis in-
ventione mirabilem effecisti: concéde
propitijs; ut, ejus intercessione, vitális
ligni prétium salutárem in nobis júgiter
operétur efféctum. Per Dóminum.

**Et fit Commemoratio S. Joannis Eudes
Conf.**

Oratio

Deus, qui beatum Joánnem, Confessó-
rem tuum, ad cultum sacrorum Córdium
Iesu et Maríæ rite promovéndum mira-
bíliter inflammásti, et per eum novas in
Ecclésia famílias congregare voluísti:
præsta, quæsumus; ut, cujus pia mérita
venerámur, virtútum quoque instruámur
exémplis. (Per eúndem Dóminum.)

**Deinde Commemoratio Octavæ As-
sumptionis B. Mariæ Virg.:**

Oratio

**Omnípotens sempitérne Deus, qui im-
maculátam Vírginem Maríam, Fílii tui
Genitricem, córpore et ánima ad cæ-
léstem glóriam assumpsisti: concéde,
quæsumus; ut, ad supérna semper in-
ténti, ipsius gloriæ mereámur esse con-
sórtes. Per eúndem Dóminum nostrum
Iesum Christum, Fílium tuum: Qui te-
cum vivit et regnat.**

Léctio libri Sapiéntiæ

Prov. 31, 10-31

Mulierem fortem quis invéniet? Pro-
cul et de últimis fínibus prétium
ejus. Confidit in ea cor viri sui, et spó-
liis non indigébit. Reddet ei bonum, et
non malum ómnibus diébus vitæ suæ.

Quæsívit lanam et linum, et operáta est consílio mánuum suárum. Facta est quasi navis institóris, de longe portans panem suum. Et de nocte surréxit, dedítque prædam domésticis suis, et cibária ancillis suis. Considerávit agrum, et emit eum; de fructu mánuum suárum plantávit víneam. Accínxit fortitúdine lumbos suos, et roborávit bráchium suum. Gustávit, et vidi, quia bona est negotiátio ejus: non exstinguétur in nocte lucérna ejus. Manum suam misit ad fórtia, et dígití ejus apprehendérunt fúsum. Manum suam apéruit ínopi, et palmas suas exténdit ad páuperem. Non timébit dómui suæ a frigóribus nivis: omnes enim doméstici ejus vestíti sunt duplícibus. Stragulátam vestem fecit sibi: byssus et púrpura induméntum ejus. Nóbilis in portis vir ejus, quando séderit cum senatóribus terræ. Síndonem fecit et vénididit, et cíngulum trádidit Chananæo. Fortitúdo et decor induméntum ejus, et ridébit in die novíssimo. Os suum apéruit sapiéntiæ, et lex cleméntiæ in lingua ejus. Considerávit sémitas domus suæ, et panem otiósa non comédit. Surrexérunt filii ejus, et beatissimam prædicavérunt: vir ejus, et laudávit eam. Multæ filiæ congregavérunt divítias: tu supergréssa es univérsas. Fallax grátia, et vana est pulchritúdo: múlier timens Dóminum, ipsa laudábitur. Date ei de fructu mánuum suárum, et laudent eam in portis ópera ejus.

Graduale Ps. 44, 3

Diffusa est grátia in lábiis tuis: proptéra benedíxit te Deus in ætérnum. **V.**
Ib., 5 Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam: et dedúcet te mirabíliter déxtera tua.

Allelúja, allelúja. **V.** Virga regni flóruit, virgam Crucis régina protulit: superbó-

rum cápita conquassáta súbdidit jugo Christi. Allelúja.

Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthéum Matth. 13, 44-52

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Símile est regnum cælórum thesáuro abscónditio in agro: quem qui invénit homo, abscóndit, et præ gáudio illíus vadit, et vendit univérsa, quæ habet, et emit agrum illum. Iterum símile est regnum cælórum hómini negotiatóri, quærénti bonas margarítas. Invénta autem una pretiosa margaríta, ábiit, et vénididit ómnia, quæ hábuit, et emit eam. Iterum símile est regnum cælórum sagénæ missæ in mare, et ex omni génere píscium congregánti. Quam, cum impléta esset, edécentes, et secus litus sedéntes, elegérunt bonos in vasa, malos autem foras misérunt. Sic erit in consummatiōne sǽculi: exíbunt Angeli, et separábunt malos de médio justórum, et mittent eos in camínus ignis: ibi erit fletus et stridor dentium. Intellexístis hæc ómnia? Dicunt ei: Etiam. Ait illis: Ideo omnis scriba doctus in regno cælórum símilis est hómini patrifamílias, qui profert de thesáuro suo nova et vétera.

Credo, **ratione Octavæ Assumptionis.**

Offertorium Ps. 117, 16-17

Déxtera Dómini fecit virtútem, déxtera Dómini exaltávit me: non móriar, sed vivam, et narrábo ópera Dómini.

Secreta

Sacris altáribus tuis impósita múnera, quæsumus, Dómine, fiant nobis ejus intercessióne salutária: quæ lignum sanctæ Crucis, primam hujus oblationis aram, méruit inveníre. Per Dóminum.

**Pro S. Joanne
Secreta**

Laudis tibi, Dómine, hóstias immolámus in tuórum commemoratione Sanctórum: quibus nos et præsentibus éxui malis confidimus et futúris. (Per Dóminum.)

**Pro Octava Assumptionis B. M. V.
Secreta**

Ascéndat ad te, Dómine, nostræ devotionis oblátio, et, beatíssima Vírgine María in cælum assúmpta intercedénte, corda nostra, caritatis igne succénsa, ad te júgiter adspírent. Per Dóminum.

Præfatio de B. Maria Virg. Et te in Assumptióne.

Communio Math. 13, 45-46

Símile est regnum cælorum hómini negotiatóri, quaerénti bonas margarítas: invénta autem una pretiosa margarita, dedit ómnia sua, et comparávit eam.

Postcommunio

Pretiósí Córporis et Sánguinis tui, Dómine, pro nobis in ara Crucis obláti, mystéria sancta suméntes: quæsumus; ut beátæ Hélenæ précibus nobis ad salútem provéniant, cujus in ejúsdem sanctæ Crucis inventióne recólimus triúmphum: Qui vivis et regnas.

**Pro S. Joanne
Postcommunio**

Refécti cibo potúque cælesti, Deus noster, te súpplices exorámus: ut, in cujus hæc commemoratione percépimus, ejus muniámur et précibus. (Per Dóminum.)

**Pro Octava Assumptionis B. M. V.
Postcommunio**

Sumptis, Dómine, salutáribus sacraméntis: da, quæsumus; ut, méritis et intercessióne beátæ Vírginis Maríæ in cælum

assúmptæ, ad resurrectiōnis glóriam perducámur. Per Dóminum nostrum.

TMissæ, etiam privatæ, dici possunt, juxta Rubricas, etiam de S. Joanne Eudes Conf., Missa Os justi, de Communi Confessoris non Pontificis 1 loco, præter Orationem supra positam; et fit Commemoratio S. Helenæ et Octavæ Assumptionis; ac ratione Octavæ dicitur Credo et Præfatio de Octava.

**Die 17 Septembris
S. HILDEGARDIS VIRGINIS
Duplex majus
Introitus Ps. 72, 28**

MIHI autem adhærére Deo bonum est, pónere in Dómino spem meam: ut annúntiem omnes prædicatiōnes tuas in portis fíliæ Sion. **Ps. 40,** 13 Me autem propter innocéntiam suscepísti: et confirmásti me in conspéctu tuo in æténum. **V.** Glória Patri.

Oratio

Deus, qui beátam Hildegárdem Vírginem tuam donis cælestibus decorásti: tríbue, quæsumus; ut, ejus vestígii et documéntis insisténtes, a præséntis sǽculi calígine ad lucem tuam delectáibilem transíre mereámur. Per Dóminum nostrum.

Et fit Com. Impressionis Ss. Stigmatum S. Francisci Conf.:

Oratio

Dómine Jesu Christe, qui, frigescénte mundo, ad inflammándum corda nostra tui amoris igne, in carne beatíssimi Francisci passiōnis tuae sacra Stigmata renovásti: concéde propítius; ut ejus méritis et précibus crucem júgiter feramus, et dignos fructus pœnitentiæ faciámus: Qui vivis et regnas.

Léctio Epístolæ
beati Pauli Apóstoli ad Corínthios
1 Cor. 1, 26-29

Videte vocatiōnem vestram, fratres, quia non multi sapiēntes secūndum carnem, non multi potēntes, non multi nóbiles: sed quæ stulta sunt mundi elégit Deus, ut confúndat sapiēntes: et infírma mundi elégit Deus, ut confúndat fórtia: et ignobília mundi et contemptibília elégit Deus, et ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrúeret: ut non gloriétur omnis caro in conspéctu ejus.

Graduale Cantic. 3, 4 et 6, 2

Invéni quem díligit ánima mea: ténui eum, nec dimíttam. **V.** Ego dilécto meo, et diléctus meus mihi, qui pásctitur inter lília.

Allelúja, allelúja. **V.** Isai. 61, 10 Exsultábit ánima mea in Deo meo, quia índuit me vestiméntis salútis, quasi sponsam ornátam monílibus suis. Allelúja.

In Missis votivis post Septuagesimam, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur

Tractus Sap. 4, 1-3

O quam pulchra est casta generatio cum claritaté: immortális est enim memória illíus, quóniam et apud Deum nota est, et apud hómines. **V.** Cum præsens est, imitántur illam, et desíderant eam, cum se edúxerit. **V.** Et in perpétuum coronáta triúmphat, in coinquínatórum certáminum præmia vincens.

Tempore Paschali omittitur Graduale, et ejus loco dicitur:

Allelúja, allelúja. **V.** Ps. 30, 22 Benedíctus Dóminus: quóniam mirificávit misericórdiam suam mihi in civitáte

muníta. Allelúja. **V.** Prov. 4, 9 Lætare, mater nostra, quia dabit Dóminus cápiti tuo augmēnta gratiárum, et coróna ínclytā próteget te. Allelúja.

+ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum

Matth. 25, 1-13

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Símile erit regnum cælórum decem virgínibus: quæ, accipiēntes lámpades suas, exiérunt óbviām sponso et sponsæ. Quinque autem ex eis erant fátuæ, et quinque prudéntes: sed quinque fátuæ, accéptis lampádibus, non sumpsérunt óleum secum: prudéntes vero accepérunt óleum in vasis suis cum lampádibus. Moram autem faciénte sponso, dormita-vérunt omnes et dormiérunt. Média autem nocte clamor factus est: Ecce, sponsus venit, exíte óbviām ei. Tunc surrexerunt omnes vírgines illæ, et ornavérunt lámpades suas. Fátuæ autem sapiéntibus dixérunt: Date nobis de óleo vestro: quia lámpades nostræ extinguúntur. Respondérunt prudéntes, dicéntes: Ne forte non sufficiat nobis et vobis, ite pótius ad vendéntes, et émite vobis. Dum autem irent émere, venit sponsus: et quæ parátæ erant, intravérunt cum eo ad nuptias, et clausa est jánua. Novíssime vero véniunt et réliquæ vírgines, dicéntes: Dómine, Dómine, áperi nobis. At ille respóndens, ait: Amen, dico vobis, néscio vos. Vigiláte itaque, quia nesciatis diem neque horam.

Offertorium Ps. 41, 2 et 3

Quemádmodum desíderat cervus ad fontes aquárum, ita desíderat ánima mea ad te, Deus. Sitívit ánima mea ad Deum fortem vivum.

Secreta

Sanctæ Hildegárdis Vírginis tuæ festa recoléntes, preces offérimus et hóstias immolámus: præsta, quásumus, Dómine; ut, cum præsídio temporáli, vitæ nobis præbeant increménta perétuæ. Per Dóminum nostrum.

Pro Impressione

Ss. Stigmatum S. Francisci

Secreta

Múnera tibi, Dómine, dicáta sanctífica: et, intercedénte beáto Francíscō, ab omni nos culpárū labe purífica. Per Dóminum nostrum.

Communio Philipp. 1, 20 et 21

Magnificábitur Christus in córpore meo, sive per vitam, sive per mortem: mihi enim vívere Christus est, et mori lucrum.

Postcommunio

Perpétuo, Dómine, favóre proséquere, quos réficiis divíno mystério: et quos imbuísti cælestibus institútis; eósdem, intercedénte beáta Hildegárde Vírgine tua, salutáribus comitáre solátiis. Per Dóminum nostrum.

Pro Impressione

Ss. Stigmatum S. Francisci

Postcommunio

Deus, qui mira Crucis mystéria in beáto Francíscō Confessóre tuo multifórmiter demonstrásti: da nobis, quásumus; devotíonis suæ semper exémpla sectári, et assídua ejúsdem Crucis meditatióne muníri. Per Dóminum nostrum.

¶ Missæ, etiam privatæ, dici possunt, iuxta Rubricas, etiam de Impressione Ss. Stigmatum S. Francisci Conf., ut in Missali hac die, cum Commemoratione S. Hildegardis.

Die 25 Septemboris

S. MATERNI EP. ET CONF.

Duplex**Introitus Eccl. 45, 30**

STATUIT ei Dóminus testaméntum pacis, et príncipem fecit eum: ut sit illi sacerdótii dígnitas in ætérnum. **Ps. 131, 1** Meménto, Dómine, Da-vid: et omnis mansuetúdinis ejus.

V. Glória Patri.

Oratio

Deus, qui diversárum natiónum pólulis præcláros veræ fídei consti-tuísti doctóres: præsta, quásumus; ut omnes, qui ad beáti Matérni Confessóris tui atque Pontíficis festa convéniunt, præséntis prosperitatē vitæ et futúram ánimæ beatitúdinis glóriam consequán-tur. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ

beáti Pauli Apóstoli ad Hebráeos

Hebr. 13, 7-17

Fratres: Mementóte præpositórum vestrórum, qui vobis locúti sunt verbum Dei: quorum intuéntes éxitum conversatiónis, imitámini fidem. Jesus Christus heri et hódie: ipse et in sácu-la. Doctrínis váriis et peregrínis nolíte abdúci. Optimum est enim grátia stabi-líre cor, non escis, quæ non profuérunt ambulántibus in eis. Habémus altáre, de quo édere non habent potestátem, qui tabernáculo desérvint. Quorum enim animálium infértur sanguis pro peccáto in Sancta per pontíficem, horum córpora cremántur extra castra. Propter quod et Jesus, ut sanctificáret per suum sánguinem pópulum, extra portam pas-sus est. Exeámus ígitur ad eum extra castra, impropérium ejus portántes. Non enim habémus hic manéntem civitátem,

sed futúram inquírimus. Per ipsum ergo offerámus hóstiam laudis semper Deo, id est fructum labiorum confitentium nómini ejus. Beneficentiae autem et communiónis nolíte oblivíscí: tálibus enim hóstiis promerétur Deus. Obœdítate präpósitis vestris, et subjacéte eis. Ipsi enim pervigilant, quasi ratiónem pro animábus vestris redditúri.

Graduale Ps. 88, 21-23

Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: manus enim mea auxiliábitur ei, et bráchium meum confortábit eum. **V.** Nihil proficiet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei.

Allelúja, allelúja. **V.** Iste est, qui ante Deum magnas virtútes operátus est, et omnis terra doctrína ejus repléta est. Allelúja.

 Sequéntia sancti Evangélii secúndum Mattháeum

Matth. 25, 14-23

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Homo péregre proficíscens, vocávit servos suos, et trádidit illis bona sua. Et uni dedit quinque talénta, álii autem duo, álii vero unum, unicuique secúndum própriam virtútem, et proféctus est statim. Abiit autem qui quinque talénta accéperat, et operátus est in eis, et lucrátus est ália quinque. Simíliter et qui duo accéperat, lucrátus est ália duo. Qui autem unum accéperat, ábiens fodit in terram, et abscondit pecúniam domini sui. Post multum vero téporis venit domini servorum illórum, et pósuit ratiónem cum eis. Et accédens qui quinque talénta accéperat, obtulit ália quinque talénta, dicens: Dómine, quinque talénta tradidísti mihi, ecce, ália quinque superlucrátus sum. Ait illi domini ejus: Euge, serve

bone et fidélis, quia super pauca fuísti fidélis, super multa te constitúam: intra in gáudium domini tui. Accéssit autem et qui duo talénta accéperat, et ait: Dómine, duo talénta tradidísti mihi, ecce, ália duo lucrátus sum. Ait illi domini ejus: Euge, serve bone et fidélis, quia super pauca fuísti fidélis, super multa te constitúam: intra in gáudium domini tui.

Offertorium Ps. 88, 25

Véritas mea et misericórdia mea cum ipso: et in nómine meo exaltábitur cor nu ejus.

Secreta

Sancti Matérni Confessóris tui atque Pontíficis, quásumus, Dómine, ánna solémnitas pietati tuæ nos reddat accéptos: ut, per hæc piæ placatiónis officia, et illum beáta retribúto comitétur, et nobis grátiæ tuæ dona concíliet. Per Dóminum nostrum.

Communio Matth. 25, 20-21

Dómine, quinque talénta tradidísti mihi, ecce, ália quinque superlucrátus sum: Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constitúam, intra in gáudium domini tui.

Postcommunio

Deus, fidélium remunerátor animárum: præsta; ut beáti Matérni Confessóris tui atque Pontíficis, cuius venerándam celebrámus festivitátem, préciibus indulgéntiam consequámur. Per Dóminum nostrum.

Die 13 Octobris S. LUBENTII CONFESSORIS Duplex

Missa Os justi, de Communi Confessoris non Pontificis 1 loco.

Oratio

Deus, qui pópulo tuo beátum Lubén-tium Confessórem grátia prædicationis et operatione virtutum mirabilem effecísti: concéde nobis fámulis tuis; et ea, quæ dócuit, intelléctu conspícere, et quæ egit, imitatióne complére. Per Dóminum nostrum.

Et fit Commemoratio S. Eduardi Regis, Conf.:

Oratio

Deus, qui beátum regem Eduárdum Confessórem tuum æternitatis glória coronasti: fac nos, quásumus; ita eum ve-nerári in terris, ut cum eo regnáre pos-símus in cælis. Per Dóminum.

Secreta

C

Laudis tibi, Dómine, hóstias immolá-mus in tuorum commemoratióne Sanctórum: quibus nos et præsentibus éxui malis confidimus et futúris. Per Dóminum nostrum.

Pro S. Eduardo**Secreta**

Præsta nobis, quásumus, omnípotens Deus: ut nostræ humilitatis oblátio, et

P pro tuórum tibi grata sit honóre Sanc-tórum, et nos cónpore páriter et mente puríficet. Per Dóminum nostrum.

Postcommunio

C

Refécti cibo potúque cælesti, Deus noster, te súpplices exorámus: ut, in cujus hæc commemoratione percé-pimus, ejus muniámur et précibus. Per Dóminum nostrum.

Pro S. Eduardo**Postcommunio**

Quásumus, omnípotens Deus: ut, qui cælestia aliménta percépimus, intercedénte beáto Eduárdo Confessóre tuo, per hæc contra ómnia advérsa mu-niámur. Per Dóminum nostrum Jesum Christum, Fílium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus: per ómnia sǽcula sǽculórum.

JMissæ, etiam privatæ, dici possunt, jux-ta Rubricas, etiam de S. Eduardo Rege, Conf., ut in Missali hac die, cum Comme-moratione S. Lubentii (cum Oratione ut supra, Secreta et Postcommunione ex Missa Justus ut palma, de Communi 2 loco).

APPENDIX

FESTA TITULARIUM PARTICULARIUM ECCLESIARUM ET PATRONORUM SINGULORUM LOCORUM

Sequentes Sancti, sicubi sint Titulares ecclesiarum vel **Patroni** præcipui locorum, habent ritum dupl. I classis cum Octava communi et **Credo** per totam Octavam.

Dies infra Octavam habent ritum semiduplicem et prævalent solis Officiis simplicibus et commemorantur in ceteris Officiis, quæ non sint duplia I et II classis; at etiam hæc Duplia assumunt **Credo** et, si propria carent Præfatione, etiam Præfationem propriam Octavæ.

Dies Octava est ritus duplicis majoris et prævalet ceteris Officiis, præterquam Dominicis, Festis duplicibus I et II classis atque Octavis privilegiatis II ordinis.

Octavæ particulares cessant a Feria IV Cinerum ad Dominicam in albis, a Vigilia Pentecostes ad Festum Ss. Trinitatis, et a die 17 ad 25 Decembris; Festa vero occurrentia diebus 19 ad 23 Decembris post diem 25 Decembris retinent residuum Octavæ.

Die 4 Decembris

S. BARBARÆ VIRG. ET MART.

Introitus

GAUDEAMUS omnes in Dómino, diem festum celebrantes sub honore beátæ Bárbaræ Vírginis et Mártyris: de cuius passióne gaudent Angeli et colláudant Fílium Dei. **Ps. 44,** 2 Eructávit cor meum verbum bonum: dico ego ópera mea Regi.

V. Glória Patri.

Oratio

Deus, qui inter cétera poténtiæ tuæ mirácula étiam in sexu frágili victóriam martýrii contulísti: concéde propítius; ut, qui beátæ Bárbaræ Vírginis et Mártyris tuæ natalícia cólimus, per ejus ad te exémpla gradiámur. Per Dóminum nostrum.

Et, in Missis privatis tantum, fit Commemoratio S. Petri Chrysologi Ep., Conf. et Eccl. Doct.:

Oratio

Deus, qui beátum Petrum Chrysólogum Doctórem egrégium, divínitus præmonstrátum, ad regéndam et instruéndam Ecclésiam tuam éligi voluísti: præsta, quæsumus; ut, quem Doctórem vitæ habúimus in terris, intercessórem habére mereámur in cælis. (Per Dóminum.)

Deinde, in omnibus Missis, Commemoratio Feriæ.

Léctio Epístolæ
beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios
1 Cor. 1, 26-31

Fratres: Vidéte vocatióne vestram, quia non multi sapiéntes secúndum carnem, non multi poténtes, non multi

nóbiles: sed quæ stulta sunt mundi élégit Deus, ut confúndat sapiéntes: et infírma mundi élégit Deus, ut confúndat fórtia: et ignobília mundi et contempti bília élégit Deus, et ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrúeret: ut non glo riétur omnis caro in conspéctu ejus. Ex ipso autem vos estis in Christo Jesu, qui factus est nobis sapiéntia a Deo, et justitia, et sanctificatio, et redémptio: ut, quemádmodum scriptum est: Qui gloriátur, in Dómino gloriétur.

Graduale Ps. 45, 6

Adjuvábit eam Deus vultu suo: Deus in médio ejus, non commovébitur. **V.**
Ibid., 5 Flúminis ímpetus lætificat civitatem Dei: sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus.

Allelúja, allelúja. **V. Ps. 118, 46** Loquébar de testimóniis tuis in conspéctu regum, et non confundébar. Allelúja.

+ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum

Matth. 19, 3-12

In illo témpore: Accessérunt ad Jesum pharisáei tentántes eum, et dicéntes: Si licet hómini dimíttere uxórem suam quacúmque ex causa? Qui respóndens, ait eis: Non legístis, quia, qui fecit hóminem ab início, másculum et féminam fecit eos? et dixit: Propter hoc dimítteret homo patrem, et matrem, et adhærébit uxóri suæ, et erunt duo in carne una. Itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjúnxit, homo non séparet. Dicunt illi: Quid ergo Móyses mandávit dare libéllum repúdii, et dimíttere? Ait illis: Quóniam Móyses ad durítiam cordis vestri permísit vobis dimíttere uxóres vestras: ab início autem non fuit sic. Dico autem vobis, quia, quicúmque dimíserit uxórem suam, nisi

ob fornicatióne, et áliam dúixerit, mœchátur: et qui dimíssam dúixerit, mœchátur. Dicunt ei discípuli ejus: Si ita est causa hóminis cum uxóre, non expedit núbere. Qui dixit illis: Non omnes cápiunt verbum istud, sed quibus datum est. Sunt enim eunúchi, qui de matris útero sic nati sunt; et sunt eunúchi, qui facti sunt ab homínibus: et sunt eunúchi, qui seípsos castravérunt propter regnum cælórum. Qui potest cápere, cápiat.

Credo.

Offertorium Ps. 44, 15

Afferéntur Regi Vírgines post eam: próximæ ejus afferéntur tibi.

Secreta

Súscipe, Dómine, múnera, quæ in beatæ Bárbaræ Vírginis et Mártyris tuæ solemnitaté deférimus: cuius nos confídimus patrocínio liberári. Per Dóminum nostrum.

Pro S. Petro Chrysologo

Secreta

Sancti Petri Chrysólogi Pontíficis tui atque Doctóris nobis, Dómine, pia non desit orálio: quæ et múnera nostra concílet; et tuam nobis indulgéntiam semper obtíneat. (Per Dóminum nostrum.)

Deinde Commemoratio Feriæ.

Communio Ps. 118, 78 et 80

Confundántur supérbi, quia injúste iniquitátem fecérunt in me: ego autem in mandátis tuis exercébor, in tuis justificatióibus, ut non confúndar.

Postcommunio

Auxiliéntur nobis, Dómine, sumpta mystéria: et, intercedénte beatæ Bárbara Vírgine et Mártyre tua, sempitérna protectiōne confírment. Per Dóminum nostrum.

Pro S. Petro Chrysologo
Postcommunio

Ut nobis, Dómine, tua sacrificia dent salútem: beátus Petrus Chrysólogus Pón-tífex tuus et Doctor egrégius, quásimus, precátor accédat. (Per Dóminum.)

Deinde Commemoratio Feriae.

Die 20 Januarii
S. SEBASTIANI MARTYRIS

Missa In virtúte, de Communi unius Martyris 3 loco; et dicitur Credo.

Et, in Missis privatis tantum, fit **Commemoratio S. Fabiani Papæ et Mart. ex Missa Si díligis, de Communi Summorum Pontificum**, ac dicitur **Praefatio de Apostolis**.

Die 26 Aprilis
BEATÆ MARIÆ VIRGINIS
TITULO DE BONO CONSILIO

Missæ Gaudeámus, ut inter Festa pro aliquibus locis.

Et, in Missis privatis tantum, fit **Commemoratio Ss. Cleti et Marcellini Pp. et Mm. ex Missa Si díligis me, de Communi Summorum Pontificum**.

Die 1 Maji
S. WALBURGIS VIRGINIS

Missæ Dilexísti, de Communi Virginum 3 loco, et dicitur Credo.

Die 13 Maji
S. SERVATII EP. ET CONF.

Missæ Sacerdótes tui, de Communi Confessoris Pontificis 2 loco, præter Orationem sequentem:

Oratio

Deus, qui pópulo tuo beátum Ser-vátium Confessórem tuum atque Pontíficem divíni verbi præcónem concédere dignátus es: ejus méritis et intercessióne concéde; ut, ab ómnibus ad-vérsis liberáti, tibi fidéliter deservíre studeámus. Per Dóminum nostrum.

Credo.

Secreta

Sancti Servátii Confessóris tui atque Pontíficis, quásimus, Dómine, ánnua solémnitas pietáti tuæ nos reddat accéptos: ut, per hæc piæ placatiónis offícia, et illum beáta retribútio comítetur, et nobis grátiae tuæ dona concílet. Per Dóminum nostrum.

Postcommunio

Deus, fidélium remunerátor animárum: præsta; ut beáti Servátii Confessóris tui atque Pontíficis, cujus venerándam celebrámus festivitátem, préci-bus indulgéntiam consequámur. Per Dóminum nostrum.

Die 16 Maji
S. JOANNIS NEPOMUCENI MART.

Missæ Dedit mihi Dóminus, ut inter Festa pro aliquibus locis 16 Maji; et dicitur Credo.

Et, in Missis privatis tantum, fit **Commemoratio S. Ubaldi Episcopi et Confessoris**:

Oratio

Auxílium tuum nobis, Dómine, quásimus, placátus impénde: et, intercessióne beáti Ubáldi Confessóris tui atque Pon-tíficis, contra omnes diáboli nequítias déxteram super nos tuæ propitiatiónis exténde. Per Dóminum nostrum.

Pro S. Ubaldo

Secreta

Sancti tui, quæsumus, Dómine, nos ubique lætificent: ut, dum eórum mérita recólimus, patrocínia sentiámus. Per Dóminum nostrum.

Pro S. Ubaldo

Postcommunio

C

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus: ut, de percéptis munéribus grárias exhibéntes, intercedénte beáto Ubaldo Confessóre tuo atque Pontífice, benefícia potióra sumámus. Per Dóminum.

Die 24 Maji

BEATÆ MARIÆ VIRGINIS

titulo

AUXILIUM CHRISTIANORUM

Missa ut inter Festa pro aliquibus locis
24 Maji.

Die 29 Maji

S. MAXIMINI EP. ET CONF.

Missa Sacerdótes tui, de Communi Confessoris Pontificis 2 loco, præter Orationem sequentem:

Oratio

P

Deus, qui hodiérnam diem beáti Maximíni Confessóris tui atque Pontificis solemnítate consecrásti: adésto familiæ tuæ précibus, et præsta; ut, cujus gloriámur méritis, ejus semper patrocínio muniámur. Per Dóminum.

Et, in Missis privatis tantum, fit Commemoratio S. Mariæ Magdalénæ de Pazzis Virginis:

Oratio

Deus, virginitatis amátor, qui beátam Maríam Magdalénam Vírginem, tuo amore succénsam, cælestibus donis decorásti: da; ut, quam festíva celebritáte

venerámur, purité et caritáte imitémur. Per Dóminum nostrum.

Credo.

Secreta

C

Sancti Maximíni Confessóris tui atque Pontificis, quæsumus, Dómine, ánnua solémnitas pietati tuæ nos reddat accéptos: ut, per hæc piæ placatiónis offícia, et illum beáta retribútio comitétur, et nobis grátiæ tuæ dona concíliet. Per Dóminum nostrum.

Pro S. Maria Magdalena

Secreta

Accépta tibi sit, Dómine, sacratæ plebis oblátio pro tuorum honore Sanctórum: quorum se méritis de tribulatióne percepíssè cognoscit auxílium. Per Dñm.

Postcommunio

C

Deus, fidélium remunerátor animarum: præsta; ut beáti Maximíni Confessóris tui atque Pontificis, cuius venerándam celebrámus festivitátem, précibus indulgéntiam consequámur. Per Dóminum nostrum.

Pro S. Maria Magdalena

Postcommunio

Satiásti, Dómine, famíliam tuam munéribus sacris: ejus, quæsumus, semper interventiōne nos réfove, cujus solémnia celebrámus. Per Dóminum nostrum.

Die 16 Junii

SS. AURÆI EPISCOPI ET JUSTINÆ VIRGINIS, MARTYRUM

Introitus Ps. 33, 20-21

MULTÆ tribulatiónes justórum, et de his ómnibus liberávit eos Dóminus: Dóminus custódit ómnia ossa eórum: unum ex his non conterétur. **Ps. ibid., 2** Benedícam Dóminum in omni témpore: semper laus ejus in ore meo. **V.** Glória Patri.

Oratio

Deus, qui glorificáris in consilio sanctórum Mártyrum tuórum Auréi et Justínæ: respice ad preces humilitatis nostræ; ut, quorum solémnia celebrámus, eórum intercessiónibus adjúvári mereámur. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ
beáti Pauli Apóstoli ad Hebráeos

Hebr. 11, 33-39

Fratres: Sancti per fidem vicérunt regna, operáti sunt justítiā, adépti sunt repromissónes, obturavérunt ora leónum, extinxérunt ímpetum ignis, effugérunt áciem gládii, convaluérunt de infirmitáte, fortes facti sunt in bello, castra vertérunt exterórum: accepérunt mulieres de resurrectiōne mórtuos suos: álli autem disténti sunt, non suscipiéntes redemptiōnem, ut meliórem invenírent resurrectiōnem: álli vero ludíbria et vérbera expérti, ínsuper et víncula et cárceres: lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisiōne gládii mórtui sunt: circuiérunt in melótis, in péllibus caprínis, egéntes, angustiáti, afflícti: quibus dignus non erat mundus: in solitudíni bus errántes, in móntibus, et spelúncis, et in cavérnis terræ. Et hi omnes testimónio fídei probáti, invénti sunt in Christo Jesu, Dómino nostro.

Graduale Ps. 123, 7-8

Anima nostra, sicut passer, erépta est de láqueo venántium. **V.** Láqueus contrítus est, et nos liberáti sumus: adjutoriū nostrum in nómine Dómini, qui fecit cælum et terram.

Allelúja, allelúja. **V. Ps. 31, 11** Lætámini in Dómino et exsultáte, justi: et gloriámini, omnes recti corde. Allelúja.

Sequéntia sancti Evangélii
secúndum Lucam
Luc. 12, 2-8

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Nihil opértum est, quod non reuelétur: neque abscónditum, quod non sciátur. Quóniam, quæ in ténebris díxistis, in lúmine dicéntur: et quod in aurem locúti estis in cubículis, prædicábítur in tectis. Dico autem vobis amícis meis: Ne terreámini ab his, qui occídunt corpus, et post hæc non habent amplius quid fáciant. Osténdam autem vobis, quem timeátis: timéte eum, qui, postquam occíderit, habet potestátem míttere in gehénnam. Ita dico vobis: hunc timéte. Nonne quinque pásseres véneunt dipóndio, et unus ex illis non est in oblívione coram Deo? Sed et capílli cápitibus vestri omnes numeráti sunt. Nolíte ergo timére: multis passéribus pluris estis vos. Dico autem vobis: Omnis, quicúmque conféssus fúerit me coram homínibus, et Fílius hóminis confitébitur illum coram Angelis Dei. Credo.

Offertorium Ps. 149, 5-6

Exsultábunt Sancti in glória, lætabúntur in cubílibus suis: exaltatiōnes Dei in gútture eórum, allelúja.

Secreta

Respice, Dómine, múnera, quæ in sanctórum Mártyrum tuórum Auréi et Justínæ commemoratiōne deférimus: et præsta; ut, quorum honóre sunt grata, eórum nobis fiant intercessiōne salutária. Per Dóminum nostrum.

Communio Ps. 78, 2 et 11

Posuérunt mortália servórum tuórum, Dómine, escas volatílibus cæli, carnes Sanctórum tuórum béstiiis terræ: secúndum magnitúdinem bráchii tui pósside fílios morte punitórum.

Postcommunio

Caeléstibus refécti mystériis súpplices te rogámus, Dómine: ut, quorum gloriámur triúmphis, protegámur auxíliis. Per Dóminum nostrum.

Die 8 Julii

S. CHILIANI EP. ET MART.

Missa Státuit, de Communi unius Martyris 1 loco; ac dicitur Credo.

Et fit Commemoratio Ss. Sociorum Martýrum:

Oratio

Deus, qui nos ánnua sanctórum Mártyrum tuórum solemnitáte lætíficas: concéde propítius; ut, quorum gaudémus méritis, accendámur exémplis. (Per Dóminum nostrum.)

Et, in Missis privatis tantum, fit Commemoratio S. Elisabeth Reginæ, Viduæ:

Oratio

Clementíssime Deus, qui beátam Elísabeth regínam, inter céteras egrégias dotes, béllici furóris sedándi prærogatíva decorásti: da nobis, ejus intercesióne; post mortális vitæ, quam supplíciter pétimus, pacem, ad ætérrna gáudia pervenire. Per Dóminum nostrum.

Pro Ss. Sociis Martyribus**Secreta**

Oblátis, quásumus, Dómine, placáre munéribus: et, intercedéntibus sanctis Martýribus tuis, a cunctis nos défende periculis. (Per Dóminum nostrum.)

Pro S. Elisabeth**Secreta**

Accépta tibi sit, Dómine, sacrátæ plebis oblátio pro tuórum honóre Sanctórum: quorum se méritis de tribulatióne percepísse cognóscit auxílium. Per Dñm.

Pro Ss. Sociis Martyribus**Postcommunio**

Hæc nos commúnio, Dómine, purget a crímine: et, intercedéntibus sanctis Martýribus tuis, cæléstis remédii fáciat esse consórtes. (Per Dóminum nostrum.)

Pro S. Elisabeth**Postcommunio**

Satiásti, Dómine, famíliam tuam munéribus sacris: ejus, quásumus, semper interventiōne nos rófave, cujus solémnia celebrámus. Per Dóminum nostrum.

Die 20 Julii

S. MARGARITÆ VIRG. ET MART.

Missa Me exspectavérunt, de Communi Virginum 2 loco, præter Orationem sequentem:

Oratio

P

Deus, qui beátam Margarítam Vírginem hodiéra die ad cælos per martýrii palmam veníre fecísti: concéde, quásumus; ut, ejus exémpla sequéntes, ad te perveníre mereámur. Per Dóminum nostrum.

Et, in Missis privatis tantum, fit Commemoratio S. Hieronymi Æmiliani Conf.:

Oratio

Deus, misericordiárum pater, per mérita et intercessiōnem beáti Hierónymi, quem órphanis adjutórem et patrem esse voluísti: concéde; ut spíritum adoptiōnis, quo filii tui nominámur et sumus, fidéliter custodiámus. Per Dóminum.

Evangelium Símile erit regnum cælorum decem virgínibus, ex Missa Dilexísti, de Communi Virginum 3 loco.

Credo.

Secreta

C

Hóstias tibi, Dómine, beátæ Margarítæ Vírginis et Mártyris tuæ dicátae méritis, benígnus assúme: et ad perpétuum nobis tríbue proveníre subsídium. Per Dóminum nostrum.

Pro S. Hieronymo Æmiliani**Secreta**

P

Clementíssime Deus, qui, véteri hómine consúmpto, novum secúndum te in beátio Hierónymo creáre dignátus es: da, per mérita ipsíus; ut nos, páriter renováti, hanc placatiónis hóstiam in odórem tibi suavíssimum offerámus. Per Dóminum nostrum.

Postcommunio

C

Divíni múnéris largítate satiáti, quásumus, Dómine, Deus noster: ut, intercedénte beáta Margarítæ Vírgine et Mártyre tua, in ejus semper participatióne vivámus. Per Dóminum nostrum.

Pro S. Hieronymo Æmiliani**Postcommunio**

P

Angelórum pane refécti te, Dómine, suppliciter deprecámur: ut, qui ánnuam beáti Hierónymi Confessóris tui memóriam celebráre gaudémus; ejúsdem étiam et exémplum imitémur, et amplissimum in regno tuo prémium obtinére valeámus. Per Dóminum nostrum.

Die 5 Augusti**S. OSWALDI REGIS, MARTYRIS**

Missa In virtúte, de Communi unius Martyris 3 loco, præter Orationes sequentes:

Oratio

P

Deus, qui donásti beáto Oswaldo Regi et Mártyri tuo glóriam terrenæ potestatis in divínū convérsti

amórem: da nobis ejus intercessióne, in tui nóminis amóre júgiter permanére. Per Dóminum nostrum.

Et, in Missis privatis tantum, fit Commemoratio Dedicationis S. Mariæ ad Nives:

Oratio

Concéde nos fámulos tuos, quásumus, Dómine Deus, perpétua mentis et cörporis sanitáte gaudére: et, gloriósa beátæ Maríæ semper Vírginis intercessióne, a præsénti liberári tristitia, et ætérrna pérfrui lætitia. Per Dóminum nostrum.

Credo.

Secreta

P

Adésto, Dómine, supplicatióibus nostris, quas in sancti Oswaldi Mártyris tui commémoratióne deférimus: ut, qui nostræ justitiæ fidúciam non habémus; ejus, qui tibi plácuit, méritis adjuvémur. Per Dóminum nostrum.

Pro S. Maria ad Nives**Secreta**

P

Tua, Dómine, propitiatióne, et beátæ Maríæ semper Vírginis intercessióne, ad perpétuam atque præséntem hæc oblátio nobis proficiat prosperitatē et pacem. Per Dóminum nostrum.

Praefatio communis; in Missis privatis vero **Praefatio de B. Maria Virg.** Et te in Festivitatē.

Postcommunio

P

Quásumus, Dómine, salutáribus repléti mystériis: ut, cujus solémnia celebrámus, ejus oratióibus adjuvémur. Per Dóminum nostrum.

Pro S. Maria ad Nives**Postcommunio**

P

Sumptis, Dómine, salútis nostræ subsídiis: da, quásumus, beátæ Maríæ

semper Vírginis patrocíniis nos ubíque prótegi; in cuius veneratióne hæc tuæ obtúlimus majestáti. Per Dóminum.

Et, in Missis privatis tantum, legitur in fine Evangelium B. Mariæ Virg. ad Nives.

Die 16 Augusti
S. ROCHI CONFESSORIS

Introitus

CONGRATULAMINI omnes in Dómino, diem beáti Rochi celebrántes, in cuius festivitaté lætatur Ecclésia, plebs exsúltat, Angeli dulces dant melódias, dicéntes: Glória tibi, Dómine, qui tales virum Confessórem elegísti. Ps. 118, 1 Beáti immaculáti in via: qui ámbulant in lege Dómini.

V. Glória Patri.

Oratio

Deus, qui beáto Rocho per Angelum tuum tábulam eídem afferéntem promisísti, ut, qui ipsum invocáverit, a nullo pestis cruciátu læderétur: præsta, quásimus; ut, qui ejus natalícia cólimus, ipsíus précibus et méritis a mortífera peste córporis et ánimæ salvémur. Per Dóminum nostrum.

Léctio Epístolæ
beáti Pauli Apóstoli ad Timótheum

2 Tim. 2, 8-10; 3, 10-12

Caríssime: Memor esto, Dóminum Jesum Christum resurrexisse a mórtuis ex sémine David, secúndum Evangélium meum, in quo labóro usque ad víncula, quasi male óperans: sed verbum Dei non est alligátum. Ideo ómnia sustíneo propter eléctos, ut et ipsi salútem consequántur, quæ est in Christo Jesu, cum glória cælesti. Tu autem assecútus es meam doctrinam,

institutióne, propósitum, fidem, longanimitátem, dilectionem, patientiam, persecutiónes, passiónes: quália mihi facta sunt Antiochiae, Icónii et Lystris: quales persecutiónes sustínui, et ex ómnibus eríput me Dóminus. Et omnes, qui pie volunt vívere in Christo Jesu, persecutióne patiéntur.

Graduale

Tibi, sancte Roche, honor sit et glória, et te deprecántes apud cæléste numen tuis précibus a morbo epidémiæ salvos redde. V. Fac, quásimus, beáte Roche, Conféssor Christi, ut apud Deum preces nostræ non sint vanæ, et nobis áëris tempériem concéde, ut et in fine tecum in cælis congratulémur.

Allelúja, allelúja. V. O beáte Conféssor Roche! O quam magna apud Deum sunt mérita tua; quibus crédimus nos a morbo epidémiæ posse liberári, et áëris tempériem concédi. Allelúja.

+ Sequéntia sancti Evangélii
secúndum Mattháeum

Matth. 19, 27-29

In illo témpore: Dixit Petrus ad Jesum: Ecce, nos relíquimus ómnia, et secúti sumus te: quid ergo erit nobis? Jesus autem dixit illis: Amen, dico vobis, quod vos, qui secúti estis me, in regeneratione, cum séderit Fílius hominis in sede majestatis suæ, sedébitis et vos super sedes duódecim, judicantes duódecim tribus Israel. Et omnis, qui relíquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, céntuplum accípiet, et vitam ætérnam possidébit.

Credo.

Offertorium

Rochum, Christi Confessórem, exorá-
tum fácimus, et preces ad Patrem no-
strum dirígimus, ut sua intercessióne a
languóribus et epidémiæ peste salvé-
mur, et áëris tempériem servémus.

Secreta

Parce nobis, Dómine, et flagélla iræ
tuæ, quæ peccáta nostra meréntur,
précibus et méritis beatíssimi Confes-
soris tui Rochi a nobis misericórditer
avérte. Per Dóminum nostrum.

Præfatio de B. Maria Virg. Et te in
Assumptióne, **ratione Octavæ.**

Tempore pestis in sequenti Commu-
nione dicitur: áëris tempériem concéde.

Communio

O quam magníficum est nomen tuum,
beáte Roche! qui tuis intercessiónibus
multitúdinem languéntium nosti sanáre,
et nomen tuum gloriósum commemo-
rántibus ómnibus te propítium exhibére:
salva nos a morbo ac epidémiæ peste
et áëris tempériem consérva.

Postcommunio

Præsta, quásumus, omnípotens Deus:
ut, qui cælestia aliménta percépi-
mus, intercedénte beáto Rocho Confes-
sóre tuo, per hæc contra ómnia advérsa
mundi muniámur; ac ab omni morbo
et peste, ac subitánea morte salvémur.
Per Dóminum nostrum.

¶ Si Missa tempore pestis celebretur, in
orationibus prædictis loco salvémur et
salva dicitur liberémur et líbera.

Die 29 Augusti**S. ADELPHI EP. ET CONF.**

Missa Státuit, de Communi Confessoris
Pontificis 1 loco, ac dicitur Credo.

Et, in Missis privatis tantum, fit Com-
memoratio Decollationis S. Joannis Bap-
tistæ, ut in Missali hac die, et legitur
ejus Evangelium in fine, juxta Rubricas.

Die 22 Septembri**S. MAURITII MARTYRIS**

Missa In virtúte, de Communi unius
Martyris 3 loco, præter Orationes se-
quentes:

Oratio

P

Annue, quásumus, omnípotens Deus:
Aut sancti Mártyris tui Maurítii nos
lætíficet festiva solémnitas; ut, cujus
suffrágii nítimur, ejus natalíciis glorié-
mur. Per Dóminum nostrum.

Et, in Missis privatis tantum, fit Com-
memoratio S. Thomæ de Villanova Ep.
et Conf.:

Oratio

P

Deus, qui beátum Thomam Pontí-
ficem insígnis in páuperes miseri-
córdiæ virtúte decorásti: quásumus; ut,
ejus intercessióne, in omnes, qui te de-
precántur, divítias misericórdiæ tuæ
benígnus effúndas. Per Dóminum.
Credo.

Secreta

P

Réspice, quásumus, Dómine, múnera,
quæ in sancti Mártyris tui Maurítii
commemoratióne deférimus: et præsta;
ut, cujus honóre sunt grata, ejus nobis
fiant intercessióne perpétua. Per Dómi-
num nostrum.

Pro S. Thoma**Secreta**

P

Sancti Thomæ Confessóris tui atque
Pontificis, quásumus, Dómine, ánnua
solémnitas pietáti tuæ nos reddat ac-
céptos: ut, per hæc piæ placatiónis of-

ficia, et illum beáta retribúcio comitétur, et nobis grátiæ tuæ dona concíliet. Per Dóminum nostrum.

Postcommunio

P

Cælestibus refécti sacraméntis et gáudiis: súpplices te rogámus, Dómine; ut, cujus gloriámur triúmpho, protegámur auxílio. Per Dóminum.

Pro S. Thoma Postcommunio

Deus, fidélium remunerátor animárum: præsta; ut beáti Thomæ Confessóris tui atque Pontíficis, cujus venerándam celebrámus festivitátem, précibus indulgentiam consequámur. Per Dóminum.

Die 9 Octobris

S. DIONYSII EP. ET MART.

Introitus Dan. 3, 84 et 87

SACERDOTES Dei, benedícite Dóminum: sancti et húmiles corde, laudáte Deum. **Ib., 57** Benedícite, ómnia ópera Dómini, Dómino: laudáte et superexaltáte eum in sǽcula. **V.** Glória Patri.

Oratio

Deus, qui hodiérna die beátum Dionýsium, Mártyrem tuum atque Pontíficem, virtúte constántiæ in passióne roborásti: tríbue nobis, quásumus; ejus imitatióne, pro amóre tuo próspera mundi despícere, et nulla ejus advérsa formidáre. Per Dóminum nostrum.

Et, in Missis privatis tantum, fit Commemoratio S. Joannis Leonardi Conf.:

Oratio

Deus, qui beátum Joánnem Confessórem tuum ad fidem in géntibus propagándam mirabíliter excitáre dignátus es, ac per eum in erudiéndis fidélibus novam

in Ecclésia tua famíliam congregásti: da nobis fámulis tuis, ita ejus institútis proficere; ut præmia consequámur ætérrna. Per Dóminum nostrum.

Epistola Stans Paulus, ut in Missali hac die.

Graduale Ps. 8, 6-7

Glória et honóre coronásti eum. **V.** Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum, Dómine.

Allelúja, allelúja. **V.** Hic est Sacérdos, quem coronávit Dóminus. Allelúja.

Evangelium Atténdite a ferménto, ut in Missali hac die.

Credo.

Offertorium Ps. 88, 21-22

Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: manus enim mea auxiliábitur ei, et bráchium meum confortábit eum.

Secreta

Obláta tibi, Dómine, múnera pópuli tui, pro sancti Dionýsii Epíscopi et Mártyris tui honóre, súscipe propítius, quásumus: et ejus nos intercessióne sanctífica. Per Dóminum nostrum.

Pro S. Joanne Leonardi

Secreta

Súscipe, Dómine, oblationem mundam salutáris hóstiæ: et præsta; ut, intercedénte beáto Joánnne Confessóre tuo, ubíque géntium júgiter offerátur. Per Dóminum nostrum.

Communio Ps. 20, 4

Posuísti, Dómine, in cápite ejus corónam de lápide pretioso.

Postcommunio

Sumptis, Dómine, sacraméntis, quásumus: ut, intercedénte beáto Mártyre tuo Dionýsio, ad redemptiōnis ætérrnæ proficiámus augmémentum. Per Dñm.

Pro S. Joanne Leonardi
Postcommunio

Pretiōsi Córporis et Sánguinis tui sacris refécti mystériis, Dómine, adprecámur: ut, beáti Joánnis Confessóris tui exémplo, studeámus confitéri quod crēdedit, et ópere exercére quod dócuit: Qui vivis et regnas cum Deo Patre.

De Ss. Rustico et Eleutherio Mm. nihil fit.

Die 16 Octobris
S. GALLI ABBATIS

Missa Os justi, de Communi Abbatum, ac dicitur Credo.

Die 21 Octobris
SS. URSULÆ ET SOCIARUM VIRGINUM ET MARTYRUM

Missa Loquébar, ut in Missali hac die, ac dicitur Credo.

Die 22 Octobris
S. WENDELINI CONFESSORIS

Missa Os justi, de Communi Abbatum, præter Orationes sequentes:

Oratio P

Concéde, quásumus, omnípotens Deus: ut, qui beáti Wendelíni Confessóris tui solémnia celebrámus; ejus patrocíniis protécti et exémplis instrúcti ad te gradiámur. Per Dóminum.

Credo.

Secreta P

Præsta nobis, quásumus, omnípotens Deus: ut nostræ humilitatis oblátio, et pro tuórum tibi grata sit honore Sanc-tórum, et nos córpore páriter et mente purifícet. Per Dóminum nostrum.

Postcommunio P

Quásumus, omnípotens Deus: ut, qui cælestia aliménta percépimus; intercedénte beáto Wendelíno Confes-sóre tuo, per haec contra ómnia advérsa muniámur. Per Dóminum nostrum.

Die 29 Octobris

S. FERRUTII MARTYRIS

Missa In virtúte tua, de Communi unius Martyris 3 loco, præter sequentia:

Oratio P

Deus, qui Ecclésiam tuam in terris militántem, inter plúrimos fidei nostræ propugnándæ athlétas, étiam gloriósi Mártyris Ferrútii passióne cor-roboráre dignátus es: concéde propítius; ut, ejus méritis ac précibus legítime in terris certántes, cum eo coronári mereá-mur in cælis. Per Dóminum nostrum.

Evangelium Si quis venit, ex Missa Státuit, de Communi unius Martyris 1 loco.

Credo.

Secreta P

His, Dómine, munéribus propítius adést: ut, quæ sacrís sunt obláta mystériis, beáti Mártyris tui Ferrútii in-tercessióne tibi pláceant. Per Dóminum.

Postcommunio P

Refécti pane cælesti, quásumus, omní-potens Deus: ut, intercedénte beáto Ferrútio Mártyre tuo, ad vitam nutri-ámur ætérnam. Per Dóminum nostrum.

Die 3 Novembris

S. HUBERTI EP. ET CONF.

Missa Sacerdótes tui, de Communi Con-fessoris Pontificis 2 loco, præter Oratio-nem sequentem; ac dicitur Credo.

Oratio

P

Deus, qui beátum Hubértum Confessórem tuum atque Pontíficem ad viam veritatis mirabiliter convertisti, et plúrimos dæmoniacos ac mente captos ipsius præcibus pristinæ sanitati restituisti: tríbue, quæsumus, nobis; ut, ejusdem patrocínio ab omni dæmonum incúrsu liberi, sana tibi mente famulémur. Per Dóminum nostrum Iesum Christum, Fílium tuum: Qui tecum vivit et regnat.

Credo.

Secreta

C

Sancti Huberti Confessoris tui atque Pontificis, quæsumus, Dómine, ánnua solémnitas pietati tuæ nos reddat accéptos: ut, per hæc piæ placatiónis officia, et illum beáta retribútio comitétur, et nobis gratiæ tuæ dona concíliet. Per Dóminum nostrum Iesum Christum, Fílium tuum: Qui tecum vivit et regnat.

Postcommunio

C

Deus, fidélium remunerátor animárum: præsta; ut beáti Huberti Confessoris tui atque Pontificis, cuius venerándam celebrámus festivitatēm, præcibus indulgentiam consequámur. Per Dóminum nostrum Iesum Christum, Fílium tuum: Qui tecum vivit et regnat.

¶ Si hodie fuerit Feria II, Festum S. Huberti fit postridie, at Octava finietur die 10 hujus, ut alias, et, in Missis privatis tantum, fit Commemoratio S. Caroli Ep. et Conf. cum Oratione propria, ut in Missali 4 Novembris.

Die 6 Novembris

S. LEONARDI ABBATIS

Missa Os justi, de Communi Abbatum, ac dicitur Credo.

Die 7 Novembris

S. WILLIBRORDI EP. ET CONF.

Missa Státuit, **de Communi Confessoris Pontificis 1 loco, præter Orationes sequentes:**

Oratio

P

Deus, qui ad prædicandum géntibus gloriā tuam beátum Willibrordum Confessorem tuum atque Pontificem míttete dignátus es: da nobis ejus intercessióne; in ejusdem gloriæ revelatióne gaudére lætantes. Per Dóminum nostrum.

Credo.

Secreta

P

Réspice, Dómine, múnera pópuli tui, sancti præsulis Willibrórdi festivitatē votiva, et tuæ testificatióne veritatis nobis proficiat ad salútem. Per Dóminum nostrum.

Postcommunio

P

Vivíscient nos, Dómine, sacramenta, quæ súmpsimus: et, intercedénte beáto Willibrórdo Confessore tuo atque Pontifice, in tuæ proficiant caritatis augmentum. Per Dóminum nostrum.

Die 17 Novembris

S. FLORINI CONFESSORIS

Missa Os justi, de Communi Conf. non Pont. 1 loco, præter Orationes sequentes:

Oratio

P

Sancti Floríni Confessoris tui, quæsumus, Dómine, supplicatióibus tríbue nos fovéri: ut, cuius festivitatēm ánnuo recólimus officio; ejus apud te méritis et intercessiōibus adjuvémur. Per Dóminum nostrum Iesum Christum, Fílium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spíritus Sancti Deus.

**Et, in Missis privatis tantum, fit Com-
memoratio S. Gregorii Thaumaturgi:**

Oratio

Da, quæsumus, omnípotens Deus: ut be-
ati Gregórii Confessóris tui atque Pon-
tíficis veneránda solémnitas, et devotí-
onem nobis áugeat et salútem. Per Dó-
minum nostrum.

Credo.

Secreta

Suscipe, quæsumus, omnípotens Deus,
vota et múnera, quæ offérimus: et,
pro cujus deferúntur honóre, ejus préci-
bus tibi grata fieri concéde. Per Dómi-
num nostrum Jesum Christum, Fílium
tuum: Qui tecum vivit et regnat in uni-
té Spíritus Sancti Deus: per ómnia
sæculórum.

Pro S. Gregorio

Secreta

Sancti tui, quæsumus, Dómine, nos ubí-
que lætíficent: ut, dum eórum mérita re-
cólimus, patrocínia sentiámus. Per Dñm.

Postcommunio

P

Majestáti tuæ, quæsumus, Dómine,
sancti Floríni Confessóris tui nos
pia júgiter comméndet orátio: ut, quem
pio venerámur offício, ipsíus suffrágio
liberémur optáto. Per Dóminum.

Pro S. Gregorio

Postcommunio

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus:
ut, de percéptis munéribus grátias ex-
hibéntes, intercedénte beáto Gregório
Confessóre tuo atque Pontífice, benefí-
cia potióra sumámus. Per Dóminum.